

contra ipsos agendum sit, ea tamen cum cautela, ne in similibus occasiones arripiantur, quae plus damni affere possint quam emolumentum, et ne dum bouem lucrari intendimus, prouincias integras perdamus, sed cum ea circumspectione et prudentia, unde probabiliter bonus possit sperari effectus. Haec ita dictis nostris Consiliarijs et Ducibus iniungimus, et nec tuam in hisce defuturam prouidentiam et dexteritatem non ambigimus.

Caeterum permansurae sunt nostrae copiae germanicae, ibi partium degentes, usque ad ulteriorem dispositionem; Sin autem Exercitus noster ad soluendam obsidionem Viennensem eo forte regionis moueret, qua partes illae per eundem tectae permanerent, tunc facilius erit, easdem quoque copias potiori ex parte ad eundem finem et effectum Exercitui coniungere. Et haec tibi nota uolumus, gratiam simul nostram Caesaream et Regiam perbenigne confirmamus. Dabantur Passavij die septima Mensis Augusti, anno milesimo sexcentesimo octuagesimo tertio. Regnorum nostrorum Romani Vigesimo sexto, Hungarici Vigesimo nono, Bohemici vero Vigesimo septimo.

Leopoldus m. p.

Ad mandatum Sacratissimae Caesareae Majestatis proprium:

Christophorus Dorsch m. p.

Hieronimus a Pozzo m. p.

*A tergo:*

Spectabili ac Magnifico Comiti Nicolao Erdöedy de Monyorokerek, Montis Claudij et Comitatus Varasdiensis perpetuo Comiti, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, Camerario et Consiliario nostro. Fideli nobis dilecto.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1683, Nr. 22.

## CCXX.

1699. die 2. Novembris. Viennae.

Leopoldus Rex prohibet, ne domini, jure gladii pollentes, malefactoribus condemnatis vitam donare praesumant.

Leopoldus Secundus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Ex casu fide-